AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS. REGULAE MONACHORUM
2. Hälfte 12. Jh. Seite 79r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



sua pace recipiat amen. INCIPIUNT. alique sententie. in libro sci augustini epi. de ope monachorum ad aurelium epm. de hoc quod precepit beatus paulus apls. Qui non uult operari nec manducet. Et sicut apostolico precepto hii qui necessitatibus subiacent a fidelibus sustentantur. ita eius precepto hos qui corporis sanitate congaudent. conuenit obedire ut sine murmuratione prepositis suis obtemperantes. sic in comune laborent. ut magis ipsi indigentibus largiantur.

Sicut ergo non cessauit apls immo spc dei possidens et implens et agens cor eius exhortari fideles qui haberent huiusmodi substantiam ut nichil deesset necessitatibus seruorum dei. qui celciorem sanctitatis gradum in ecclia habere uoluerunt ut spei secularis uincula cuncta precederent. et animum liberum diuine milicie dedicarent. sic debent et ipsi preceptis eius obedire ut compatiantur infirmis. et amore probate rei non inligati manibus suis in comuni labore prepositis suis sine murmure obtemperare. ut hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium quod laborantibus et aliquid uictum transigant operantibus. propter infirmitates tamen corporales aliquorum. et propter ecclesiasticas occupationes. ut eruditionem doctrine saluatoris patuerit. Interrogatio. Quid enim agant qui operari corporaliter nolunt. cui rei uacent scire desideo. Responsio

Oracionibus inquiunt et psalmis et lectioni et uerbo dei. Obiectio. Ut si ab hac uita laudabili ad necessaria procuranda omnino non liceat auocare. ergo nec manducandum est nec coquendum. sed et hec fieri oportere et illa non omittere.